

The Electronic Manipulus florum

www.manipulusflorum.com

Infernus e cum fonte primo

Illa ultrix flamma uiciorum
concremacionem habet et lumen non
habet

quia quo illos gehenne flamma
deuorat, a uisione ueri luminis cecat; ut
et foras eos dolor combustionis cruciet
et intus pena caecitatis obscuret,
quatenus qui auctori suo corpore et corde
deliquerunt, simul et corpore et corde
puniantur; et utrobique penas senciant
qui dum hic uiuerent prauis suis
delectacionibus ex utroque seruiebant.

Gregorius libro IX. moralium.

Natura uero ignis est, ut ex se ipso et
lucem exhibeat, et concremationem; sed
transactorum

illa ultrix flamma uiciorum
concremationem habet et lumen non
habet. Hinc est enim quod reprobis
Veritas dicit: *Discedite a me, maledicti,
in ignem aeternum qui paratus est
diabolo et angelis eius.* Quorum rursus
omnium corpus in unius persona
significans dicit: *Ligate ei manus et
pedes et mittite eum in tenebras
exteriores.* Si itaque ignis qui reprobos
cruciat lumen habere potuisset, is qui
repellitur nequaquam mitti in tenebras
diceretur. Hinc etiam psalmista ait:
*Super eos cecidit ignis et non uiderunt
solem.* Ignis enim super impios cadit, sed
sol igne cadente non cernitur
quia illos quos gehennae flamma
deuorat, a uisione ueri luminis caecat; ut
et foras eos dolor combustionis cruciet
et intus poena caecitatis obscuret;
quatenus qui auctori suo corpore et corde
deliquerunt, simul corpore et corde
puniantur. Et utrobique poenas sentiant,
qui dum hic uiuerent prauis suis
delectationibus ex utroque seruiebant.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 9, 65
(CCSL 143, M. Adriaen ed., p.525, ll.5-
21).